



# Disputatio medica inauguralis de pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/343262>

37

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**PLEURITIDE,**

QUAM  
SUMMI NUMINIS FAVORE  
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,  
**D. JOHANNIS MUNNICKS,**

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ, Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissime  
Facultatis MEDICÆ Decreto,  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus &  
Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

**JUSTUS BERNHARDUS SLEPPER**, Lemgovia-Lippiacus.

Die 15. Martii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

---

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ  
Typographi, clo Ioc Lxxxvi.



A.D.D. J. N. J. U. T. I. A.  
DISPUTATIO MEDICA  
IN AVGURALIS.

D E

# PLEURITIDE.

## T H E S I S I.



Iseria hominum, à principio vitæ ad ultimum usque terminum ejus perdurans, variis ruinam ipsi minitantibus stipata est morbis, inter quos non infirmum locum obtinet dirus & atrox morbus, dictus PLEURITIS, qui Inaugurali nostræ materiam suppeditabit, ad cujus enodationem, præmissa divini Numinis invocatione, accedo.

### I I.

Nominis crisi aliis relicta, morbum vivis suis coloribus in hunc modum depingo: *Pleuritis est inflammatio pulmonum & pleura ejusdem lateris, cum febre acuta, dolore lateris punctario, russi, respirandi difficultate & frequentia.*

### I I I.

Proximum jam erit inquirere *Causas* morbi, quibus ignoratis impossibile aut planè contingens est, morbum curari. Has vulgo dispescunt in *Remotas & Proximas*. Proximam dico massam sanguineam impregnatam multis particulis acidis scindentibus & viscosis, quæ ab alcalicis & oleosis minus bene involute aut ligatae, transfluendo pulmones cum massa sanguinea, in eorum poros irruunt, ac instar clavorum in illis hærent; hæ particulæ saline poris illarum partium impactæ, efficiunt, ut materiæ sub-

## DISPUTATIO MEDICA

tilis , quę fulminis instar totum corpus pervadit , celerrimus per partem affectam cursus multum impediatur , quę novos statim formare sibi poros intendens , per quos liberè iterum fluat , varie partes allidens & repercussa (quemadmodum in fœno madidè reposito videmus ) in motu suo immensum augentur horsum , vorsum & quaquaversum in omnes partes , qui celerrimus materiæ primi elementi motus calorem intensum in parte affecta excitat . Et hęc nobis ostendunt Phlegmonem si-  
ye inflammationem lateris .

### I V.

Nec porro difficile erit ex hac positione symptomatum graviorum , quę in hoc morbo spectari solent , rationem deducere . Et primò quod febrem spectat acutam , quę tertianę typum aliquando servat , oritur illa , quia massa sanguinea ab acidis & viscosis particulis incrassata , reliquaque ejus particulę ordine suo perturbatę & haud bene mixtę , unde aliqualis ejus coagulatio & per vasa minora difficilior circulatio . Febrem hanc Pleuritidem aliquando antecedere , non sine ratione notat . *Sydenham in Observ. p. 355* , licet ab ægris , rem non adeò attendentibus , haud relatam . Materia in parte obstructa hærens sensim acrior evadit , & à sanguine affluente ulterius poris partium impulsę , spiculis suis scindendo , pungendo & partes dílacerando , menti repräsentat dolorem illum lateris punctorium , qui ante suppurationem inflammationis augetur , generato verò pure sensim cum reliquis symptomatis mitescit . Pulmones ab his impactis salinis rigidis particulis simul vellicati ac compuncti , convulsivos motus ineunt , quam molestiam removere volentes ægri , vehementer & cum sonitu exspirant , quod tussim vocamus . Sique præterea ab hoc sanguine incrassato , vasa quædam minora arteriosa obstruantur , (quod tamen non in omnibus æque inflammationibus contingit) sanguis subsequens fortius partem obstructam premens , ipsam distendit , unde vesiculæ pulmonares , quę aërem haurire debebant , insufficienti quantitate ipsum non recipiunt , quod ut compensetur creibius respirare coguntur ; quod partim quoque faciunt , ob dolores acerrimos , qui fortiori inspiratione multum augentur :

Diffl-

Difficilius idem fit, si, quod aliquando contingit, musculi intercostales interni simul sint inflammati. Ab impetu sanguinis obstructionem prementis, aut ejus acrimonia, vasculum unum aut alterum sanguineum si disrumpat, sanguinisque partem pulmonum vesiculis infundat, oritur sputum sanguineum aut sanguine intermixtum & successu temporis quoque purulentum. Sitis saepe valde molesta infestat ægros, quæ vel ab humoris sanguinem diluentis inopia procedit, aut ejus viscositate & nimia crassitie, quo minus liberè per glandulas & vasa salivalia in os depluat saliva, aut vasis & glandulis obstructis stagnet.

## V.

*Causæ procatarctice* sive remotæ spectande veniunt varie, ut sunt: Aër frigidus brumali tempore, præsertim flante borea, mediante inspiratione haustus, qui machinam nostram saepe ad hunc morbum disponit, uti & subita mutatio aëris è frigido in calidum, & è contra à calido in frigidum. Cibos cum acido preparatos & sale conditos, sive sit muriaticum sive pure salsum, mali esse nominis in generando hoc morbo, cuivis facilè patet, & ex quorum abusu non difficile esset morborum agmen enumerare, quæ verò brevitatem excederent, quam hinc intendimus. Potus generosiores ut Vinum, spiritus vini & alii, præsertim antiqui, larga quantitate assumpti, culpandi hinc quoque veniunt, ob acidum quod copiosè secum vehunt; hi postquam assumpti spirituosa sui parte facile dissipabiles auralque petentes, relinquunt in corpore acidum & viscosum magma sanguinem incrassans & circuitum ejus per corpus retardans. Quot porrò non ab assumpto potu frigido, corpore ante à quavis causa incalescente pœnas luunt, gratissimi ad momentum temporis saporis, qui faucibus blandiendo, brevi post luctas & aliquoties terminum vitæ accelerat mortalibus? Dysenteria negligēta aut malè curata, aliquando Pleuritidem post se trahit; hinc *Helmontius Tr. Pleura Fur. parag. 26.* dicit: Quod Dysenteria à Pluritide se separat, non tam causæ, quam subjecti varietate. Tussis, clamor vehemens, ictus & contusiones pectoris interdum, sed rarius tamen inter morbi causas recenserri possunt. Obser-

DISPUTATIO MEDICA

varunt Autores s<sup>e</sup>pe Pleuritidem Epidemiam vehementem & multos desubito ad Patres revocantem , cuius dispositionem in eo consistere persuader<sup>o</sup>, quod a<sup>r</sup> , qui perpetuo refertus multis particulis nitrofis temperatis , sanguini nostro perquam amicis ac congruis , qui cum acidis particulis plus , quam subigi possint , abundet , instar mercurii sublimati spiculis armatus plures & solito fortius affligat . Quod vero quidam proniores p<sup>r</sup>ae aliis in hunc morbum obseruentur , & quotannis certo tempore ut plurimum afficiantur , id ipsum à morbo non bene curato , aut labo in pulmonibus , pleura & sanguine relicto provenire verosimile judico . Item corpus à lecto , motu violentiori aut igne calefactum , si desubito denudetur & aëri frigido exponatur , notham seu spuriam Pleuritidem facile sibi contrahit . Et hæc de causis sufficient.

V I.

Quod spectat *Differentias* , p<sup>r</sup>incipia est inter Pleuritidem Veram & Notham . Vera est de qua haec tenus dictum , quæ aliquando in dextro , aliquando in sinistro latere hæret , subinde quoque anteriora circa sternum magis occupat , aut in posteriora circa dorsum reclinans , notante *Barbett.* in *Prax. cap. de Pleurit.* ab incautis aliquando pro dolore nephritic<sup>o</sup> habetur . Notha gradibus à Vera differre videtur , estque longè mitior , ac propriè loquendo Pleuritidis nomen non meretur , nidum suum circa musculos intercostales externos , vel in vasis lymphaticis , aut cutis excretoriis vasis habet , aliis flatibus adscripta , febrem nullam aut admodum exiguum comitem habet , nec inflammationem nisi forte musculorum intercostalium extenorū , dolor ipsam insequitur vagus ac longè mitior : cuius notabile exemplum nuper habuimus in Nosocomio Publico Lugdini Batavorum , in fœmina quadam paupercula , cui latus per quinque vel sex dies doluerat , dolor à mamma dextra usque ad spinam dorsi se extendebat , in qua circumferentia multæ vesiculae aqua plenæ protuberabant , pertusæ lympham valde acrem emittebant , quaque effusa dolor statim multum remisit , & quod notabile erat , pertusis vesiculis cutis subtus nigricans apparebat , sed periculum non adeò magnum erat , brevi enim curata est . A Peripneumonia

## INAUGURALIS.

7

monia parum differt Pleuritis, nec ineptè isti duo à quibusdam pro uno morbo habentur, nam in illa inflammatio interiora pulmonum magis occupat, ac in utroque latere pulmonem afficit, ac sèpe quoque mediastinum, eo verò periculosior, quod hic respiratio pene impedita molestiam creet, in hac verò, ut antea dictum, pulmones & pleura ejusdem lateris per consensum patiuntur Phlegmonem. Epidemia ac Maligna à simplici differt, quod eo tempore non unus vel alter, sed plures simul à morbo decumbant, & proficiscantur eò, unde difficilis reditus.

## V I I.

De *Signis* morbi non est quòd plura dicam, hæc enim in morbi delineatione videri possunt, quæ si non omnia, at saltem præcipua adsint, de Pleuride vera merito judicium suum suspendit prudens Medicus; quibus addi possunt non adeo infrequens sputum sanguineum, sitis ut plurimum intensa, ac pulsus, qui explorando observatur celer & parvus. Qui matulam consulunt, difficultatem hic sentiunt, nam inflammatione degenerata in suppurationem, observant Uromantæ pus cum urina excerni, quomodo autem hoc pus ad vasa uninaria deveniat, ipsorum animos excruciat hactenus. Quidam illorum observantes venam  $\alpha\beta\gamma\zeta$  aliquando ramum unum mittere ad venam emulgentem, putarunt per ipsum ramum pus ad renes & vesicam deferriri, sed hi non sunt audiendi, quoniam de sede morbi & sanguinis circulatione male educti. Alii alias excogitarunt vias, sed veritati non respondentes, proinde veritatem hujus rei in eo confitentes arbitror, quod nempe mediante sanguine partem suppuratam alluente, puris quædam particulæ massæ sanguineæ immisceantur, quæ ad arterias emulgentes cum sanguine revolute, simul ad renes & vesicam descendant, & sic excludantur.

## V I I I.

De *Prognosis* quid dicam, hæreo. Non quod hic affectus nullis gaudet signis prognosticis. Minime gentium; plura enim repries ad hunc morbum spectantia apud Autores, quam ad ullum alium, sed considerans vanitatem illorum qui more Gentilium Medicorum auctoritatem pene divinam sibi volunt acquirere conjectando de futuris & dubiis, cautè agendum esse circa prognostica

gnostica arbitror, ne victuros verbis occidant, aut morituros reconvalituros conjecturent, nam ex uno prognostico contrario, plus infamiae saepe nobis acquirimus, quam ex decem effectum sortiuntibus & sic plebi deridendos nos exponimus. Interim ut more solito quasdam conjecturas proferam, puto quod non vili-pendens sit hic morbus, est enim ex numero peracutorum, ut volunt, qui intra paucos dies periodum suam absolvit, terminaturque vel ad sanitatem vel ad mortem, vel suppurante inflammatione, & pure pectoris cavitati infuso Empyicos, non sine magno periculo relinquit agros, pejorque, si Epidemius & Malig-nus. Pleuritidi si Peripneumonia accedit, ob auctum malum, deterius habent. Periculum imminent & in pejori versantur statu, si symptomata sunt vehementiora & vires debiliores. Consulenti Oraculum Medicum de statu hujus morbi sequentem dat responsionem : Lib. 5. Aph. 8. *Qui Pleuritici facti non repurgantur superne in quatuordecim diebus, his in suppurationem convertitur.* Sed hic certus dierum numerus experientiae non semper respondet, & aliquando ante, saepius verò post diem decimum quartum rumpitur suppuratio & pectoris cavitati pus influit. Qui porrò pruritu stimulatur altiora cognoscendi de termino vitae, audiat sequentem Oraculi responsionem : *Quibus in morbo lateralı plurimus ex spacio strepitus in pectore sonat, & vultus demissus est, oculisque aurigine suffusus & caligine obductus, in his mors expectanda.* Hæc Senex in Coacis, qui multa alia passim habet de morbi eventu, quæ suo loco videri possunt, sed melius sibi consulent, qui immaturum judicium abstraxerint ab his & Vitæ Auctori ejus directionem reliquerint.

## I X.

Relictis Prognosticis Curationem, unicum agrorum solatum, aggrediamur, quæ commodissime institui poterit, subigendo acidum peccans agro hic admodum inimicum, ac sanguinis incrassationem & stagnationem ab eodem acido productas, referando, ulterioreunque ejus concretionem præcavendo, symptomata urgencia sedando, & vires quantum possibile conservando. Hi scopi si obtineri nequeant & suppuratio instet, materiae expectoratio & ul-

& ulceris consolidatio promovenda. Sed remoram nobis injiciunt plurimorum sic dicta Universalia, quemadmodum sunt V. S. Vomitoria, Purgantia, ad quæ non ineptè referuntur supervacanæ Clysterisationes & quæ porrò ceremoniæ, quæ seponendæ prius, ne, dum hæ frustra celebrantur, æger vel in deterius ruat, vel viribus inde detruncatis, ante bonorum medicamentorum adhibitionem vitam cum morte commutet.

## X.

Qui utrumque tam V. Snem quam Purgationem in uno subjecto adhibent, illam huic præmitti jubent, putantes minorem sanguinis quantitatem facilius posse regi, instituunt autem V. Snem vel ad derivationem vel ad revulsionem sanguinis à parte affecta, quantaque olim erat sollicitudo animique perturbatio de loco sectionis, an nempe in latere affecto, an in fano, an in pede, an in brachio fecari debeat vena? Quidam hanc, quidam aliam propugnantes opinionem, ægro mortuo venam inconvenienti loco sectam putabant. Sed hæ cruentæ dissertationes detectæ sanguinis circulatione, pacem impetravere apud quosdam, putantes unum idemque esse, quæ pertundatur vena, quum omnis ex uno fonte hauritur purpura, sique adhuc ipsam revellere aut derivare, instar aquæ intra aggeres contentæ student, tum totam massam sanguineam in subjectam patellam derivare velle videntur. Sed remanet adhuc illud, cum locus indifferens sit, an unquam in Pleuritide vena sit secanda? Et respondent alii, quod non unica saltu sufficiat V. Stio, sed quod habita ratione ægri, necessariò tertia vel quarta vice iteranda sit. Alii praxi rationali dictæ consentaneum esse persuasi, ut sanguis ad animi deliquium evacuetur, aut tam diu venam apertam esse servandam, donec purus sanguis iterum effluat (dum chylosam ejus partem in pelvi instar pelliculae in superficie coagulatam nuper videre) sed hi tandem cautores fiant. Nobis verò plane inconsultum videtur, sanguinem mittere in hoc ipso morbo, quia vires maximè prosternit, præterea ad tollendum morbum insufficiens est, de quo porrò videri potest Helmont. Tr. Pleur. Fur. §. 8. & 9. Hi insuper experientiam addunt, qua inquiunt jam satis confirmatum, posse omnem Pleuritidem feliciter absque V. Sne curari.

10 DISPUTATIO MEDICA  
X I.

Purgatio s. fortis sive lenis morbo itidem tollendo insufficiens, tutius omittitur quam celebratur, ne frustra laborando occasio, hic admodum præceps, præterfluat, vires præter necessitatem debilitentur, & ægro satis jam afflito, novæ præter necessitatem angustię & turbæ excitentur. Sponte quoque imposterum desistent à Vomitorii, tanquam huc non quadrantibus quibus persuasum est, ab ipsis Curationem dependere. Clysterisationibus qui incumbit, illum tempus terere existimo, dum exinde magnum ægro levamen afferri credit & meliora exhibere negligit.

X I I.

Hisce præmissis in ultionem morbi quammaxime convenire arbitror Diaphoretica sive sudorifera, quæ in minori dosi exhibita Diuresin, hic quoque proficuam excitare valent, hæc verò componi debent ex salibus alcalicis volatilibus ut & fixis, oleosis, intermixtis quoque terreis, quibus hosti, vitæ insidias struent securè occurrere poterimus, nam hæc sunt, quæ scindentes & pungentes acidi particulas obtundere & instar vaginæ gladium obnubentis, involvere & ab ulteriori periculo ægrum liberare valent. In hunc finem laudantur & excellunt seqq. simplicia & compostæ Rad. Bardan. scorzon. Herb. Card. ben. scabios. tus filag. Flor. papav. errat. sambuc. Chamom. Sem. Card. bened. cannab. fœnic. Crocus. Camph. Opium. Tart. Salvol. oleos. Sylv. Sal. vegetabilium fixa, ut absinth. Card. bened. Aquæ, Spiritus & Tinct. aromaticæ, lap. cancr. priapus tauri, cervi, dens apri, Castoreum, sal. armon. Spirit. & Sal. vol. C. C. unicornu, Spir. Urinæ, fulig. & qui magni ab *Helmont*. habetur sanguis hirci, non quidem propriè graveolens ille, ex præciso miseri patrimonio collectus, sed quivis alius sero suo non orbatus. Quibus verò stercoræ placent medicamenta propinan succum stercoris equini, gallinacei, interque secretiora quorundam stercus columbinum, quæ stercora ratione salis volatilis, quod copiosè secum vehunt, appetuntur. Marina laudantur, testæ concharum, ossa cap. lucii pisces, sperma ceti, succinum, Corall. alba & rubra horumque Tinct. Mineralia, Antim. diaph. bez. Mineral. Cinnab. nativ. & Antimonij. reg. Antim. medicinal. flor. Sulph. & multa alia ex quibus convenientia medicamenta parari possunt. Qui verò pharmaciæ contractiori

## INAUGURALIS.

tractiori affuevit & selectioribus quibusvis morbos curare intendit,  
in paucissimis sufficientiam inveniet. Nec de formulis remediorum multum solliciti erimus, quia facile erit ex prædictorum numero quasdam componere, ad morbum extirpandum & ad palatum ægri sufficiens. E. g. sit Mixtura seq. magnarum virium.

℞. Aq. foenic. Card. bened. aa. ʒij. Carm. Sylv. ʒj.

Lap. Cancr. Antim. dipah. aa. ʒl. Camph. ʒj.

Spir. sal. armoniac. ʒj. Laud. op. gr. iij. Syr. papav. errat. ʒj. M.

Cochleatim singulis horis assumatur.

In gratiam eorum qui pulveres exoptant, sit seq.

℞. Sang. hirci ʒij. Bez. miner. ʒj. Cinnab. nat. Camph. aa. ʒj.

Laud. op. gr. iv. M. F. Pulv. 6. de quibus capiat ægertres in die; poteruntque hæc millenis modis variari, pro cuius vis beneplacito.

## X I I I.

Hisce legitimè adhibitis, si suppurationem inflammationis præcavere Medicus non poterit, aut tardius ad patientem vocatus, Phlegmonem ad supparationem tendere jam perceperit, medicamentis supra citatis cum fructu addet ea, quæ maturantia aut suppurantia vulgo dicuntur, item expectorantia, quæ oleositate & viscositate sua poros jam obstructos magis obstruunt, & materiae cœlestis in parte affecta motum augent, ut tubulis partium disruptis inque minima divisis, chylosaque sanguinis parte stagnante in illis corrupta, puris extravasatio acceleretur, expectoretur & ulcus consolidetur; quod præstabunt Ol. Amygd. dulc. rec. expr. lini, anisi, Bals. Sulph. anisat. Therebinthinat. aut qui melior ex anatica portione olei anisi & therebinthinæ confectus Balsamus Sulphuris, Bals. peru. melrosatum, Syr. nicot. Decocta pectoralia usitata & similia, quorum crebriori usu malum facilius domari poterit. Si verò pleura à costis divulsa pus contineat, & pectoris cavitati infundat, disrupto apostemate Empyema adest, quod interdum paracenthesin thoracis requirit, quæ non hujus loci.

## X I V.

Externa si requirantur medicamenta, ob malum sensim externa petens, locum habent Cataplasma ordinaria & Fomenta quæ commodè parari possunt ex Spir. Vini. Camphorato, cum sal. Arm.

im.

imprægnato, Spir. Vin. cum Sal. volat. quovis armato; & alia, in quibus sedulò cavendum ab omnibus pinguibus ac viscosis, que diaphoresin requisitam impediendo, malum plus augent quam imminuunt.

## X V.

Symptomatum maximè urgentium singularem annectere Curationem, non opus duco, quoniam ad morbum ipsum laudata medicamenta eadem feliciter simul compescunt. Dolor lateris & Vigiliae molestè opiatis pacandè, quod tentandum primò mitioribus, ut Theriaca, Diascord. Frac. Sylv. Syr. papav. errat. si vero his auscultare recusat, ad fortiora properandum, ut sunt Opium, Laud. opiat. Laud. liquid. Tartaris. & omnia ex Opio præparata fortiora. Nec febris & virium debilitas singularem curam exposcunt, nam superius ad morbum laudata salia volat. Oleosa & aromatica, his simul occurunt, & sanguini vigorem pristinum restituunt, & sic eadem cordialium seu rectius sanguinem restituentium nomine longè aptiùs terreis dictis cardiacis veniunt.

## X VI.

Ultimus restat *Dieta* locus, quam olim adeò accuratè, præser-tim in morbis acutis, servari volebant, ut frustra judicarent medicamenta præscribere illis, qui victus rationem servare nollent. Cibi ipsorum sint jucula carnium recentium, ut & carnes ipsæ facilioris digestionis, ova forbilia & similia pro conditione ægri. Potus non nisi calidus assumatur, cui Spirit. Sal. Armoniaci, C. C. aut alterius salini alcalici guttae quædam pro lubitu instillari possunt, aut bibant loco potus ordinarii Decoctum scorzonerae cum C. C. raspatio præparatum. Præsertim in cibo & potu vitentur omnia acida & salsa muriatica, quæ plurimarum turbarum in Oeconomia animali autores. Locus in quo æger procumbit sit calidus, nam à frigoris excessu semper male habet. Mentis quoque perturbationes, ut sunt ira, tristitia, terror &c. Longè absint, ab his enim sanguinis motus multis modis turbari potest. Quies corporis maximè necessaria, proinde ab omni motu quantum possibile caveant, ne dolores & alia symptomata accrescant magis. Et hæc sunt quibus exercitii gratia breviter Pleuritidem delineare volui.

F I N I S.